



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed  
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum  
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè  
continentur

**Zerola, Tommaso**

**Coloniae Agrippinae, 1680**

Moniales.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10421**

ma, & Damiani, & sic videmus diversis in locis sacris hisce nostris temporibus fieri miracula circa corporum infirmitates, & ista possunt peti à Deo. Flor. Theol. 4. *Sent. tract. de Suffrag. art. 2. difficul. 2. conclus. 2.* D. Thom. 2. ad Thessal. c. 3. *lect. 2. circa ult.*

Ad quintum, prædicantes falsa miracula sunt excommunicati Papali excommunicatione, Nav. *capit. vigesimo-septimo. numero 113. ex com. 30.* licet ipse & Cajet. & Auctor Sum. Concil. Later. in *si. §. ambiguum.* dubitent, hanc censuram, sicut alias factas in dict. Conc. fuisse usu receptas.

Ad sextum, vide Gemin. *capitulo 1. numero 3. de confes. libro 7.* Bald. in *1. solam. col. fin. Cod. de testib.* Addit. Zachar. in Abb. *in capitulo cum Marthe, numero septimo, de celebrat. Miss. in lura B. & Syria. de Cath. instu. titulo vigesimo octavo, num. 19.*

Ad septimum, vide D. Thom. 2. Cor. c. 12. *lect. 4. in ver. signa Apostolatus.*

Ad octavum, miracula vera sunt propter illa quæ dicta sunt in 4. §. gratiæ verò possunt fieri magis communiter, & gratia sanitarum commemoratur scriptum, *d. Mo. 226. 178. articulo 1. ad 4.* & sic interdum fiunt quedam miracula, seu stupenda in quibusdam Ecclesiis, sive imaginibus sacris, quæ videntur miracula, & revera non sunt talia: sed potiùs gratiæ, vel dona, D. Thom. *loc. c. lect. 2.* & ex his poteris colligere, quod non sunt vera miracula, quando quis progressu temporis sanaretur, vel quid modicum infirmitatis, nam vera miracula, vel nihil, vel totum operantur, ut de

paralyt. *lo. 5.* ubi D. Aug. totum hominem sanum fecit in Sabbato, *Deut. 34. Dei perfecta sunt opera, & Gen. c. 1. Vidie cuncta quæ fecerat, & erant valde bona, & insuper quod ea quæ fiunt à malis hominibus, vel dæmonibus prædicantibus, falsam doctrinam, non sunt verè miracula, & sic erunt illa, quæ faciet Antichristus, & si quæ sunt, quæ circumferuntur à nostris pseudo prophetis recentioribus hæreticis falsa dogmata prædicantibus.*

Hic nota de nonnullis miraculis, sive ignotis prodigiis, signis, & portentis quæ solent apparere in aëre, ut refert Plin. *lib. 2. cap. 59. nat. hist.* Ioseph. *de bello Judaico. Machab. lib. 2. c. 5. & 11.* de aliis similibus phantasmatibus, & spectris, quæ interdum solent apparere noctis tempore, circa sepulchra mortuorum, an fieri possint naturaliter, vel per malignos spiritus; vide Ammon. *in predicans.* & Snessan. *libro primo, Meteorol. Com. 43. & 84.* cætera fufius vide in Doctoribus citatis.

## MONIALES.

## SUMMARIUM.

- 1 *Monialis, quot annorum debeat esse, quando vult suscipere habitum monachalem.*
- 2 *Quot annorum in professione emittenda.*
- 3 *Ubi, & quoties examinanda, seu exploranda ejus voluntas.*
- 4 *Clausura, & septa monasterii ad quem pertinent.*
- 5 *An possint habere proprium moniales.*

Ss

6 Quos

- 6 Quot recipi possent in quolibet monasterio.
- 7 Quae vita, circa Sacramenta, & alia.
- 8 Quoad ingressum monasteriorum quomodo liceant.
- 9 Abbatissa quot annorum esse debeat, & quomodo eligi debeat.
- 10 An puella possint introuiti, & recipi in monasterium, & quae conditiones requirantur.
- 11 Quanto tempore ibi permanere possunt.
- 12 An mulieres suspectae possent ibi conseruari.
- 13 An in quolibet monasterio debeat fieri liber monialium.
- 14 An aliqua possit fieri monialis, vel professionem emittere in monasteriis exemptis Regularium, absq; licentia Ordinarii.
- 15 De dote quid constituendum.
- 16 An moniales professae exire possint à Clausura, & quando.
- 17 Monasterium earum an possit transferri, & quando.
- 18 Quae dos debeat monialis, quando non relinquatur à patre dos determinata, vel non fuit data sufficienter.
- 19 Ubi monasteria monialium construenda, & quomodo earum necessitatibus providendum.
- 20 Quae aetate, & quo tempore moniales virgines habeant seu benedici, consecrari, & velari.
- 21 An possint variare in electione Abbatissae publicato scrutinio.
- 22 An sint cogenda ad habitum suscipiendum, vel professionem emittendam, & an impedienda.
- 23 An possint ingredi monasterium strictius

Ad primum, requiritur aetas duodecim annorum, Concil. Trid. sess. 25, c. 17. de Regular. & prius debet explorari sua voluntas ab Episcopo, siue ab alio, prout ibi, & Pius V. Bulla sua disponit, ut occasione huius explorationis Episcopus, vel ejus Vicarius, possit Monasterium ingredi, sed ante elata Monasterii id efficiat, & Conc. Mediol. Provinc. 5. tract. de Monial. fol. 130. Sc. eam dicit, quod in Ecclesia monasterii exteriori, vel in alia proxima, praesentibus duabus matronis aetate gravibus, honestisque, debet puella examinari, & illae duae matronae non debent esse consanguineae, vel conjunctae puellae, ita sac. Congreg. declar. 456. & 458. & 271. & hoc idem, antequam dicta puella, jam induta habitu monachali, sollemniter profiteatur, agendum est, ut patet in eadem sess. & c. & ita censuit sac. Congreg. declar. 167.

Ad secundum, non debet ad professionem admitti puella Monialis, antequam seximum annum expleto, nisi per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ea sess. c. 15. & Conc. VI. Constantinop. cap. 40. ex cano. 18. Basilii Magni, ita auctor Sum. Concil. & si aliqua ante dictum tempus professionem emisit, ejus professio ab Ordinario debet nulla declarari, declar. sac. Congreg. 355. & 368. dicit elapso tempore novitatus ad professionem admittendae sunt, si habiles inveniuntur: si secus, à Monasterio eiciantur, & debet eis praefigi terminus ab Ordinario quindecim, aut viginti dierum ad deliberandum, an velit profiteri, quod si nolint,

tenet

remittendæ sunt ad domus consanguineorum, vel affinium, & hoc declarat. 285. vide Panor. in c. quia ingredientibus, num. 4. de test. & in c. ut clerici, num. 1. de Regular.

Hic est primum dubium, quid si uno die ante annum probationis aliqua professa sit, an teneat ista professio. Secundum, quod si probare velle vi aut meriti ingressam esse Religionem, & professionem emisisse, quomodo & quando probare debeat. Tertio, quid debeat fieri de dote promissa, vel de bonis asportatis ad monasterium ab ipsa puella, si inde exierit, nolens profiteri, & in Religione perseverare. Quartum, an sint cogendæ profiteri, si sunt tacite professæ.

Ad primum responderetur, quod requiritur annus integer, & expletus, adeo quod si defecit una dies, nulla est professio, etiam si in anno bissextili non adderetur dies una, non valet professio, quæ debet fieri in ultimo instanti anni, quod clarè dicit, d. sac. Concil. loco cit. ca. 20. ubi requirit annum expletum, gloss. in c. si, in vers. per annum, de regular. Syl. in ver. religio, 2. n. 19. ver. 3. faciunt quæ dicam in ver. professio, dicto 7.

Ad secundum responderetur, quod si metus, vel vis suspicaretur, vel dubitaretur ante susceptionem habitus vel professionem emissam, vel post utrumque; si primum, Ordinarius ex ea diligentissimè quærere debeat, an Deo religiosè inservire, atque inter Moniales, apud quas est, professionem emittere, an Deo nubere velit, & hoc debet fieri necessariis interrogationibus, & quid-

quid responderet, debet describi à publico Notario, presentibus testibus idoneis, ita censuit sac. Congregatio declar. 272. quod si habitum suscipere, & professionem emittere liberè assenserit, ad utrumque admitti potest, si secus, ad domum consanguineorum, vel affinium remittatur, prout supra: si secundum, practiceretur capitul. decimum nonum, scilicet. vigesima quinta, ubi dicitur, quod infra quinquennium tantum, &c. & vide in ver. professio, pro quo etiam facit declarat. sac. Congregatio. 410. & ne miretur quis, si in capit. illo de cimonono, solùm videatur loqui de religiosis masculis, quia respondetur, primum idem esse propter identitatem rationis, prout in capitulo decimo quinto eadem sess. Secundò, quia masculinum concipit femininum, gloss. in cap. si quis suadente, ver. si quis, decimo quinto, questione quarta, Gom. in capite secundo, numero 66. de descrip. lib. 6. & in q. 9. de infir. resign. & Follet. pract. crim. 1. par. 2. p. num. 18. de metu, vide in ver. motus, & in ver. professio, nu. 14. vide Abb. in c. 3. nu. 3. in fi. de statu monach.

Ad tertium, tam dos, quam omnia, quæ sua erant, discedere à monasteriis volentibus, nec habitum suscipere, nec professionem emittere, puellis sunt restituenda sub pœna excommunicationis, ea sess. cap. 16. de Regular. argum. cap. si beneficium, de Regular. lib. 6. cap. 1. 17. quest. 2. sed durante anno probationis, victus & vestitus potest à parentibus, seu propinquis, aut curatoribus de paternis bonis ministrari. Faciunt quæ notat Vinc. Franc. decis. 14. in ult. facit quod dicit idem decision. 52. numero 11.

§ 2. quod si matrimonium sit declaratum nullum, donationes factæ inter sponfos restituantur, nulla facta distinctione scientiæ, vel ignorantia, & valet argumentum à matrimonio carnali ad spirituale, ut patet doctrinis, & iuribus vulgaris.

Ad quartam, sac. Congregat. declarat. 257. censuit, moniales, quæ ejus Ordinis sunt, qui requirit professionem, si tacitam professionem emisissent, licet palam & expressè id factum non fuerit, tamen cogende sunt ut prostentur, sicut cap. 2. de Regular. libr. 6. § Clem. 2. eo. tit.

Ad tertium principale jam patet ex dictis ad primum in ultimo.

Ad quartum, maximis sub pœnis præcepit sancta Synodus, ea. sess. cap. 5. Episcopis, ut monasteriis sibi subiectis adhibeant clausuram optimam, & circa monasteria exempta, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, & si aliquis exemptum Sanctimonialium monasterium ingredi ausus fuerit absque licentia (quia tunc clausura censetur violata) potest per Ordinarium censuris ecclesiasticis puniri, & declarari, prout in dicto ca. Abb. in cap. primo, numero primo, de statu monach. & monialibus & monasterio exeuntibus etiam cum causa probabili requiritur in eo consensus superioris Regularis, & Episcopie ejus loci, sac. Congregat. declarat. 400. meis. Vide Bul. Pii X. quæ est octava, & incipit, Circa pastoralis.

Ad Quintum, cautum erat de jure Decreti, Religiosos non posse habere proprium, cap. non dicatis, 12. q. 1. ubi D. Aug. in ser. 3. de com. vir. ele. & in epistol.

ro 6. ad Monachos, dicit, non dicatis habere proprium aliquod, sed sint vobis omnia communia, Aug. tract. 6. in Ioan. & habetur Can. quo iure, 8. dist. Ambros. 47. dist. ca. sicut hi, Chrysost. super Luc. capit. 6. ubi dicit à Deo perceptimus omnia, quod meum dicimus autem, & tuam, mendacii sunt verba, & Poeta:

*Si duo de nostris tollas pronomine rebus,  
Prælia cessarent, pax sine lit. eforet.*

Postmodum de jure Decr. in c. cum ad monasterium, ult. de statu mon. dicitur, nec Abbatem, nec Papam posse dispensare in hac proprietate. Accessit jus novissimum sac. Conc. eod. sess. cap. 2. ubi dicitur nemini Regularium licere tenere, vel possidere bona immobilia, vel mobilia, cujuscunque qualitatis, tanquam propria; aut nomine Conventus, sed statim ea superiori tradere, & incorporare decernit. Hic sunt multa dubia, & primum, an liceat superioribus monialium concedere licentiam eis, ut possint habere aliquod proprium pro suis necessariis, utputà, in fitimitibus, vestitu, victu, & hujusmodi. Secundò, an mobilia saltem.

Ad primum, Con. loc. cit. quoad immobilia, seu stabilia respondet negativè, accedit declarat. sac. Congreg. 154. ubi censet, monialibus non licere possidere proprium, & quod eis legatum relictum donatum datum ve fuerit, vel etià earum labore, vel industria partum, tradi debet Abbatis, quæ ex eo primum Monialis ipsius, cujus causa id quaesitum est, necessitati providebit, reliquum conferri debeat ad usum Monialium reliquorum Conventus. Ad

Ad secundum, Concil. *ibid.* concedit, ut superiores possint permittere Moniales habere usum mobilium, cum hoc, ut eorum suppellex statui paupertatis, quam professæ sunt, conveniat: sed quid sit usus iste mobilium, dico breviter, præter pannamentorum includi etiam pecuniarum usum, quas lucrantur suis exercitiis, ad hoc ut possint emere vestes, libros, & alia hujusmodi, & hanc licentiam posse dare Ordinarium, vel superiorem eorum, affirmat Gō. *tract. de Brevi. nu. 18.* & dat rationem, nam propter hoc non videntur habere proprium, cum ex debita obedientia semper debent esse paratæ illa dimittere ad libitum suorum superiorum, ita Ioan. Andr. & Abb. *in capitulo secundo, & in d. c. cum ad Monasterium, de statu monac. & in cap. edoceri colum. 2. de rescript. & Consil. 88. il. primo, & in cap. Ioannes, numero 6. de regul.* Sed hodie est dubium, an possint permittere iidem superiores, ut moniales habeant annuos census, sive redditus, & videtur quod sic, quia sunt pecuniæ, & usus mobilium: sed contrarium est tenendum, quia annui redditus, inter immobilia à jure censentur. *Clement. 1. §. cumque annui redditus, de verbor. signifi. & ibi gloss. in d. verfic. imò nec usum eorum, quia sunt immobilia, seu stabilia: fallit in annuis redditibus, qui cum persona extinguuntur, quia isti non computantur inter immobilia, Gom. quest. 1. colum. certia, de trien. possif. Abb. in consil. 13. colum. 4. lib. 2. sed nec istos possent habere. Declarat. sac. Congreg. 390. & sic respondet in facto. Aliud dubium, an possit conce-*

dere usum pecuniarum quæ sunt in bonis. Respondetur negativè, quia numeratæ sunt inter immobilia, Cal. *in cap. cum causa, de re judic. juxta finem, Tiraq. de utroque retract. in gl. 7. §. 1. fal. 108. num. 113. Foller. pract. crim. 1. par. 2. num. 13. fol. 65.* & sic solum habetur ex his omnibus, quod superiores tantummodo possunt concedere usum mobilium, sed non dominium, sed utantur actu, id est indigent aliquibus rebus necessariis, Flor. Theol. *tract. de domin. art. 1. 2. & 3. fol. 213.* Hinc fit quod mobilia non possunt donare, nec consummare, sed iis tantummodo uti. Soto *lib. 4. quest. 1. art. 1. pag. 2.* etiam si sit monialis feudataria, nam feudum, durante ejus vita, manet quoad commoditatem apud Monasterium, Capyc. *decif. 10. nu. 17. & infra.* hoc intellige, juxta dicta in *ver. alienatio, §. 3. cons. 7. & 8. Nav. in c. cui portio, §. 2. q. 2. sive de regular. com. 1. ver. 13. princip. pale. n. 13. & in c. non dicatis, co. 2. c. 1. n. 2. ver. per regulam. Cald. cons. 2. de regul.*

Ad sextum, sac. Conc. *ibidem c. 3.* statuit, quod is tantum numerus monialium constituatur, & conservetur in posterum, vel quæ ex redditibus propriis monasteriorum, vel ex consuetis elemosynis commodè possent sustentari, vide in *c. periculofo, §. sanè, de statu Reg. lib. 6. & ibi. Anch. nu. 3. vers. quinto nota.* Idem confirmat sac. Congreg. *declarat. 216. & Pius V. in Bulla sua 9. folio 13. & in eod. loco* Addit sac. Conc. nulla talia loca, tam virorum, quam mulierum erigentur sine Episcopi, in cujus Diœcesi erigenda sunt, licetia prius obtentâ, quod coadjuvatur jure cõmuni, & intelligitur

de omni Ecclesia, & loco sacro, capitul. nemo, de consecr. distinct. 1. Sylv. in ver. Ecclesia, secundo, Selva, tract. de benef. 1. par. quest. 6. in princip. & per totum. Nav. in cap. statumus, 4. 4. ver. 3. 19. q. 3. & circa numerum monialium etiam in monasteriis exemptis iurisdicatio ordinaria est, idem. nu. 57. & in c. nulla, 18. q. 2. n. 17. ver. 2. in c. statumus, n. 45. ver. 3. idem de elemol. Greg. XIII. Bulla sua, & Nav. loc. cit. ubi habes numerum certum posse, & debere ab Ordinariis etiam in exemptis cum suis superioribus præfigi, ultra que in sub pœna peccati mortalis, non possunt alia recipi.

Ad Septimum, sub præcepto peccati mortalis obligantur confiteri peccata sua singulis mensibus, & prima Dominica cujuslibet mensis sumere sacrosanctum Euchariistiæ Sacramentum, hoc habetur in Clem. 1. §. sand. de statu mon. & gl. in ver. mensib. idem Sor. 4. Sent. distinct. 18. q. 1. art. 3. col. 5. & Oldradus cōf. 222. Cajet. in q. 1. in addit. 3. par. D. Tho. tamē Conc. sess. prædicta, c. 10. dicit, ut admoneantur Sanctimonialia, saltē semel singulis mensib. confessionem peccatorum facere, & sacrosanctam Euchariistiā suscipere, & verbum admonere, non dicit obligationem sub reatu peccati, ses. vigesima quarta, §. præterea, de refor. matrim. Ad d. Clement. respondetur, quod quantum ad hoc, est reformata per jus novissimum. Hic sunt multa notanda. Primò, circa vestes. Secundò, circa locutiones. Tertio, circa commatres. Quarto, circa tonsuram capillorum. De primo dicitur, quod non possunt portare vestes diversi coloris, *Can. ult. 29. q. 1. arg. 6.*

*pen. de vita & honest. Cler.* nam si prohibentur hæc Clericis secularibus, quanto magis Monialibus, quæ a strictiori vita astringuntur, c. 2. q. 1. gl. in Clem. 2. in ver. pariter, de vita & honest. cler. & cum loquatur de vestib. extenditur etiam ad caligas, & sandalia, similiter & de tonsura capillorum, *argum. de toto ad partem & e contra.* Circa secundum, Monialis non potest, nec debet loqui sola cum aliquo, sed associata cum duabus, vel tribus, *cap. in decima, 10. q. 1. facit cap. Monasteria, de vita & honest. cler.* ubi Clericus frequentans Monasteria Monialium, sine manifesta & rationabili causa, potest arceri ab Episcopo, & nisi desiterit, potest suspendi, similiter de Laicis, quia possunt ab eo excommunicari, *Nav. c. 25. na. 10. Notab. 32.* & frequentia intelligitur ex duabus vicibus, *Gloss. in d. c. in ver. frequentare, Abb. in cap. monasteria, nu. 5. de vita & honest. cler.* & refert Host. aliter sententem, *Gom. in c. mulieres, n. primo, de judic. lib. 6. simihæc,* & de literarum inscriptione, quæ intelligitur prohibita sub prohibitione locutionis, prout dictum est in *versicul. excommunicatio*, circa frequentiam locutionum clerici cum Monialibus, non est restringendum ad dictum prædictæ glossæ, quia frequentare non intelligitur, etiam si tribus annis duodecies alloqueretur, *Abb. & Host. in d. c. Nav. in c. statumus, comp. 4. de reg. num. 61. ver. quibus addo,* & frequentia intelligitur sine causa rationabili, & manifesta *idem cōf. 10. de statu mona.* Hic dubitatur, an Episcopus possit ponere in edictis, ne etiam mulieres, non solum vii allo-

quas

quantur, vel scribant ad moniales, vel quibuscunque existentibus in monasteriis, & Navar. loc. cit. ver. 3. dicit, ita esse edictum Romæ, quod etiam in aliis locis deberet observari, prout Beneventi & Surrenti servari vidimus. & rationaliter, quia mulieres interdum solent esse internuncie ad maleficium. De tertio non possunt sibi faceres commatres per sacramentum Baptismi, vel Confirmationis, vel huiusmodi, c. per venerit, il. 1. 18. quest. 2. ad est ratio, quia compatres, & commatres assumuntur in partem sollicitudinis infantis, quam impertiri non potest monialis, cum non sit patrona sui ipsius, sed sub obedientia superioris, quod idem censendum est de regularibus masculis, c. per venerit, 12. q. 2. Navar. loc. cit. num. ero 65. ver. 2. De quarto, vide Abb. & gloss. in Clem. attendentes, nu. 2. de statu mona. & Abb. in cap. si quis ex clericis, numero. 3. de vita & honest. clerico. & in c. uxoratus, num. 4. de conuer. conjug. Circa tonsuram capillorum Monialium, quate fuerit inventa rationabiliter, vide D. Hier. epist. quadragesima octava ad Sabianum, & Cardin. Baronium in annotationibus Martyrologii die 20. Septem. in ver. ad turpitudinem, dum agit de sancta Paula.

Ad Octavum. Conc. Trid. sess. ead. c. 3. disponit, ingredi autem intra septa Monasteriis nemini liceat cuiuscunque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerit, sine licentia Episcopi, vel superioris in scriptis obrenta, sub pœna excommunicationis lætæ sententiæ, quæ est Episcopalis, cum non fiat reservatio, & Concil. Matifconense, Can. 1. &

Pius V. excommunicat omnes mulieres, etiam Ducissas, ingredientes septa Monasteriorum, etiam Monialium, virtute facultatum Apostolicarum, quas revocat, & est Bulla 22. fol. 930. Navar. capite vigesimo septimo numero 150. notab. & est reservata Papæ, & Greg. XIII. Bulla 75. cum reservatione excommunicat omnes Prælatos intrantes claustra Monialium, in casibus non necessariis, idem confirmat in alia Bulla, quæ est 36. fol. 1239. ubi excommunicat omnes ingredientes vigore licentiarum Papæ, vel Ordinariorum, nisi in causis necessariis, & urgentibus. Sed hic dubitatur primo, an qui ingrediatur absque licentia, etiam ut ibi malè aliquid faceret, esset excommunicatus Papali excommunicatione? videtur quod non, quia Bulla solum loquitur de ingredientibus vigore facultatum Papæ, vel Ordinarii, tanto minus, quod ingrederetur, ut nihil malè ageret, quia solum esset excommunicatus excommunicatione sac. Con. & sic vidi practitari à doctis & piis viris, vide Tiraq. de retri. convent. §. secundo, gl. unica, nu. trigesimo, licet Nav. loc. cit. ver. quarto, videatur dicere, quod plus peccat, qui non virtute facultatum, sive licentiarum, quam sine illis ingrediatur, sed vidi Neapoli absolvi ingredientem, & cum maleficio, sed posset esse, quod illi Confessarii absolverunt illos cum facultate Episcopali, per c. liceat, Con. Trid. sess. vigesima quarta, non omitto quod quidam Moderni scribens quosdam casus ventilatos in Archiepisc. Bononiensem, teneat, Episcopos non posse absolvere ingredientem Monasteria, sine

licentia



licentia, per d. c. *liceat*, & vidi liter. Illust. Car. Montiselparis, quibus idem affirmabat esse de mente Congregationis. Sed ego censerem oppositum, cum potestas Episcoporum, quæ aliàs est favorabilis, & ideo amplianda, videatur satis restringi, c. *edia*, de reg. iur. l. 6.

Secundò, an sit causa necessaria ingrediendi, ut quia mater, aut soror aut consanguinei ingredi vellent visere filiam, aut sororem, gravi morbo laborantem, sac. Cong. dec. 489. respondere negativè, & quòd Episcopus non posset dare hanc licentiam, etiamsi sit in periculo mortis, nec minùs, quando filia, aut aliæ vellent suscipere habitum, vel emittere professionem, nec viduis, quæ vellent in Monasterio manere in habitu laicali, licet promittant inde nunquam egredi. Ratio est, quia in nullo casu prædictorum est causa necessaria, de qua Cong.

Tertiò, ista causa necessaria, vel casusürgens, de quibus Bulla Pap. Greg. à quonam debeat arbitrari? Respondetur ab Episcopo, & superiore, ita sac. Con. loc. cit.

Quartò, an procuratores possint ingredi septa Monasterii, possit dare licentiam Episcopus, sac. Congreg. declar. 115. respondet, quòd non, nisi causa evidentis utilitatis, dummodo eorum ætas, & morum gravitas ea sit, quæ ipsos commendet. Dubitatur primò, an Episcopus possit ingredi Monasteria sibi subdita, sine licentia obtenta à superiore ipsorum monasteriorum, & Na. in d. c. *statuimus*, n. 40. dicit, quòd non, imò nec sua monasteria potest ingredi, nisi in casibus necessitatis, & comitatus superiorib.

& religiosis personis. Nav. per Bul. Greg. XIII. n. 62. loc. cit. & consi. 9. de statu mona. Sed circa ingressum Episcopi in monasterium exemptum cum licentia superioris illius, ego censerem secus, quòd ingrederetur ob causam necessariam circa clausuram, quia ad ipsam pertineret, prout dictum est *superius*, §. 4. per c. *Bonsi* §. 25. Con. Trid. Secundò dubitatur, si quis ingrederetur cum licentia Episcopi, & ibi haberet rem cum aliqua Moniali, an esset excommunicatus. Respondetur ex Nav. conf. 34. de sent. excom. quòd non, de jure comuni, sed quia hoc videtur obstar edictæ Bul. potest dici quòd Nav. loquitur de ingrediente cù licentia Episc. in casu necessitatis; licet ibi malum patret; Bulla verò loquitur de ingrediente cù licentia Episc. sed non in necessitate. Tertiò dubitatur, an per illa verba Con. (*cujuscunq; ætatis*) prohibeatur ingressus infantulorum discretionem carentiù? Respondetur ex Nav. in d. c. *statuimus*, n. 57. quòd non, secus verò de amētibus pauperibus, quia isti possent esse causa peccandi, illi autè non. Quartò dubitatur, licentiã loquendi cù Monialibus exemptis, vel ingrediendi eorum Monasteria, quis debet dare? Respondetur ex Nav. loc. cit. n. 60. ver. 3. quòd à superioribus ipsorum, & non ab Episcopo, nisi sint sibi, vel Patre immediate subjectæ; tamen ego vidi observari contrarium Neapoli, ubi etiam Medici veniebant pro licentiis ad Archiepisc. Neopolitanum, causa ingrediendi Monasteria exempta pro medicatione.

Ad Nonum, vide in ver. *Abbatissa*.

Ad Decimum sac. Congreg. declar. 80. dicit, puellæ educationis gratia licet sacro

facro vestitu induta non sint, non prohibentur in monasteriis monialium retineri, & alibi dicit de puellis, quæ non educationis causa, sed propter inopiam, tenuesque facultates domi suæ tutò ali nequeant, quod possunt collocari in monasteriis, modo à propinquis eis victus suppeditetur, & hoc *declarat* 156. sed cum istis conditionibus debent manere loquendo de omnibus. Primò, sine ancillis. Secundò, ut si semel egredentur, non amplius possint illuc reverti. Tertio, tenentur ad clausuram observandam, quemadmodum ipsæ moniales. Quarto, quod recipiantur cum licentia in scriptis superiorum. Quintò, & de consensu Abbatissæ. Sextò, quòd si ob ægritudinem curandam, de licentia tamen superioris, ut *suprà*, de consensu Abbatissæ, & Monialium exierint à Monasterio, rursus in eo admitti debent, cum licentia superioris, & de consensu Abbatissæ, & Monialium. Septimò, quòd utantur eo vestimento, quòd virginali modestiæ & pudori conveniat, & easdem conditiones debent observare viduæ, quæ ibi manent, licet istæ viduæ de cætero non sint recipiendæ in monasteriis, nisi moniales fieri voluerint, & *fac. Congreg. declarat.* 159. & 214. & 475. & 122. & 57. censuit.

Octavò, quod non sint super numerum præfixum.

Nonò, quod quolibet semestri eis anticipata solvatur portio pro alimentis.

Decimò, quod sit locus separatus à loco ubi degunt aliæ moniales professæ, & novitiæ pro dormitione, & laborato, ita *fac. Congreg.*

Ad Undecimum, ead. *Sac. Congreg. declarat.* 468. censuit, quòd puellæ educationis causa in Monasteriis Monialium permitti debent usque ad decimumquintum annum suæ ætatis, & alia, quæ est 475. Hic posset esse dubium, quæ ætate puellæ causa educationis possint recipi in monasteriis. Ad hoc respondetur, me non invenisse circa hoc declarationem aliquam, sed memini Reverendiss. Archiepiscopum Surrentinum, virum pietate insignem, dixisse mihi, non debere recipi, nisi ad minus septem, aut octo annos expleverint, & fundatur ratione, quia non deceret in monasteriis teneri infantulas quasi in cunis, vel cum obstetricibus, & potest à simili deduci per ea, quæ dicit *fac. Cong. de cler. recip. in semi. cap. si. sess. 23.* qui debent esse 12. annor. vel in ætate requisita ad sponsalia, quæ est 7. annorum expletorum, *Covar. de sponsa. 1. par. cap. 1. num. 2. cap. licet, de sponsa.* & sacra *Congreg. censuit*, non recipi puellas minores septennio & minores vigesimoquinto, prout vidi in licentiis, quæ propter talem causam ab ipsa *fac. Congregatione* dari consueverunt, & inter cæteras, unam sub datum Romæ, octavo Novembris 1599. Secretario Reverendissimo Domino Bernarduno Episcopo Averfano.

Ad Duodecimum, *fac. Congreg. censuit* in hæc verba, *Mulieres, quæ sunt in discordia cum marito, & ejus servitium timenti, si extra culpam sunt, quamdiu justam causam timendi habuerint, debent, si sunt in monasteriis, tolerari, imposterum vero hujusmodi mulieres non debent recipi, declar. 159.* Si verò mulier aliqua vene-

rit in suspicionem marito, quod timet, ne ab eo aliqua vis ei inferatur, debet permitti, ut possit ingredi Monasterium Monialium, si modò constitutiones Monasterii non repugnant, & accedat consensus Superiorum, Abbatissæ, & Monialium, & causa cessante ingressus, debet inde exire, & si semel exierit, nunquam postea in idem Monasterium ingredi poterit, & tenetur ad clausuram, sicut aliæ moniales, & stare sine ancillis, &c. ita sac. Congregat. declar. 130. & hoc fovetur jure communi, prout habetur in cap. de benedicto. 32. quest. 1. Selva, tract. de benefico. 4. par. de quest. 7. num. 18. versicul. 104. & Navar. consil. 5. de divort. dicit Episcopum hoc posse; & licet Apostolica ibi dicat, sacram Congregationem dedisse quandam formulam circa hoc, & ideo succedente casu, recurrendum esse ad eam, tamen ego vidi formulam, & est, ut primò conveniat constitutioni monasterii; secundò, de consensu Abbatissæ, & Monialium; tertio, sine ancillis; quarto, ut servet clausuram, ideo censeo succedente casu repentino, posse Episcopum hoc facere, quia in casibus repentinis periculosis, non potest ita facile haberi recursus, & ita vidi practicari in multis civitatibus. Hoc potest consolidari argumento eorum, quæ dicit sac. Concil. Trident. sess. 23. cap. 1. de refor. ubi agit de absentatione Prælatorum à suis Ecclesiis, cum licentia, prout ibi in scriptis, nisiurgens necessitas, vel repentina causa adesset.

Ad decimumtertium, sac. Congr. declarat. 410. in §. singula, dicit: *Singula Monasteria habeant librum profitentium, taci-*

*te, vel expresse, & coadjuvantur jure communi, quia professio debet fieri scriptis, cap. fin. 20. quest. prima, & gloss. in cap. nullus, in ver. expresse, de elect. libro 6. & nunquid scriptura sit de necessitate professionis? Franchus ibi dicit, quod non, sed ut scriptura propria obviet ei, qui contravenit, gloss. in utroque loco, & sic vidi practicari à Reverendissimo Archiepiscopo Surrent.*

Ad decimumquartum, Primò patet ex superius dictis ad primum, in fine, ubi diximus sac. Con. sess. cu. cap. 17. disposuisse, bis esse ex plorandam voluntatem puellæ, antequam suscipiat habitum, & emittat professionem, & hoc à Episcopo, vel ejus Vicario, &c. & non distinguit de puella ingrediente monasterium subditum Episcopo, vel exemptum à sua jurisdictione, & cum lex non distinguit, nec non distinguere debemus, ergo ad Episcopum pertinet, & accedit dilucidatio sac. Congregationis 161. ubi censuit in hæc verba. *Primum Moniales subiecta jurisdictioni Regularium exemptorum, sine licentia Ordinarii egressæ fuerint à Monasteriis, debent ipsæ, & earum superiores, de quorum licentia de Monasteriis egressæ fuerint, per censuras Ecclesiasticas & alia juris remedia ab eorum Ordinario puniri, non obstantibus quibuscunque privi. &c. Secundum, si superiores earundem Monialium alicui Monialium habitum dederint tanquam ab Ordinario examinata fuerint, contra decreta sac. Con. Trident. faciunt. Tertium idem si prædictæ Moniales professionem emisserint, antequam iterum ab Ordinar. examinentur, contra ejusdem Conc. decreta faciunt. Quartum, quod casus si evenierit*

evenerit, tenetur Ordinarius explorare voluntatem earum, quæ habitum tantum susceperint, antequam in Religione proficiantur. Quintum, ab illis vero virginibus sacris, a quibus non modo habitus est susceptus, sed iam facta est professio, etsi examinata non fuerint, tamen ab eis nihil sciscitari debet Ordinarius, sed eas permittere in suo statu manere. Sextum, & promi à Con. Trident. statuitur, in Abbatissas, & Præfectas animadvertere potest, debetq; idem Ordinarius, & debet etiam moniales & earum superiores moneri ne vitis virginibus sacrum habitum, ac multo minus partiantur in religione profiteri, nisi prius earum voluntas perspecta, & explorata sit ab eodem Ordinario, quo facta, contra facientes poterit idem Ordinarius coercere, non solum pœnis à Con. Trident. statutis, & præscriptis, sed etiam ecclesiasticis censuris, & aliis juris remediis, non obf. quibuscunque privilegiis &c.

Ad decimum quintum, in cap. quoniam, de simonia, inhibetur penitus ne pro monachatione aliquid recipiatur, sub quibusdam pœnis, ut ibi, & in Extravag. Urbani IV. sub tit. de simonia, qua incipit, Sane, sub Papali excommunicatione, & reservatione inhibetur ipso facto incurrenda, ne tam à maribus, quam à mulieribus volentibus ingredi Religionem, Ecclesias, Monasteria, &c. in earundem personarum receptione, aut ante vel post illam, quocunque pastus, prandia, seu cœnas, pecunias, localia, aut alia etiam ad usum ecclesiasticum, seu quemvis usum pium alium deputata, vel deputanda, directè, vel indirectè petere, vel exigere, quoquo

modo præsumant, & inferius. Illa dumtaxat, quæ personæ ipsæ ingredientibus purè, & sponte, plena libertate, omni pactione cessante, dare, vel offerre Ecclesiis, &c. cum gratiarum actione receptari; & in Concil. Lateran. sub Innoc. III. cap. sexagesimo quarto & sanctus Anton. tertia part. iii. 24. capitul. 70. Sylvest. in verbo excommunicatio, septimo numero 81. & Navar. capitulo 27. numero 106. & gloss. in dist. Extravag. referunt, Felinum audivisse à fide dignis, quod Urbanus non intendebat comprehendere Moniales, quæ consueverunt aliquid recipere vigore consuetudinis, & Clemens VII. concessit, ut Moniales nullam simoniam incurrerent, propter pacta, & conventiones, quas in dotibus Monialium in commodum earum victum contraherent, ita Navar. loco citato, & habetur in compedio privilegiorum, in ver. Moniales numero ultimo, vide Caiet. in Sum. in ver. excomm. cap. septuagesimo tertio, & Sylvest. in ver. simonia, num. decimo quinto, ver. octav. in fine. & consuetudo totius ferè mundi hodie introduxit, non recipi moniales in monasteriis, nisi prius sufficiente dote assignata; tamen quicquid sit, de iure sac. Congr. in dilucidatione 216. circa hoc negotium, in hæc verba censuit: De dotibus cum de eis nihil certum statuendum sit, prout qualitas personarum & temperum postulat, est faciendum, nec quod datur Moniali ingredienti Monasterium, debet nomine dotis nominari, sed dicendum est, quod id attribuitur pro alimentis ingressæ in Monasterium, & quod non possit determinari certa quantitas dotis; ultra dicta patet,

nam variantur tempora, variantur & pretia rerum, quibus utuntur, tam in vestitu, quam victu dictæ Moniales, Abb. & Felin. in cap. cum causa. de testibus, & memini temporibus elapsis pro dote Monialis, in quibusdam locis ad maximum dari centum nummos aureos, nunc verò alibi dantur quingentum, alibi mille, alibi bis centum, & sic de singulis argum. cap. non debet, de consanguin. & aff. & l. exigendi, C. de Procurat. Gomef. quest. 5. de trien. poss. & quest. de trien. qu. 5. de idiom. & sic debet attendi locus, tempus, & modus, prout dixi in ver. emptio, sumptus verò faciendi ab ipsis Monialibus, in professione, & velolumendo, ab Ordinario debent taxari, & definiri de rebus necessariis, sac. Cong. declarat 458. sed quid dicendum est, cum aliqua puella jam sit intromissa Monasterium monachationis, & postea non habet modum dotis, debet necne ex eo ejici, sac. Congreg. declarat 58. censuit quòd non, sed in futurum nullæ talis conditionis debent admitti, & sic locorum Ordinarii, antequam eas intromittant, debent facere cautum Monasterium de dote sufficienti, vera, & secuta; & ita practicabat Reverendissimus Archiepiscopus Surrentinus, & sit ubique, vide Sor. libro 9. quest. 6. art. ult. ad quartum, de justit. & jure.

Ad decimum sextum, egredi tam tacite, quam expresse professas Moniales à claustris monasterii prohibitum erat de jure communi, in capitulo periculoso, de statu regul. libro 6. nisi fortè tanto & tali morbo evidenter earum aliquam laborare constaret, quòd non posset cum

aliis, absque gravi periculo: seu scandalo commorari, sed quia hoc salutare decretum abierat iam in desuetudinem, de qua jure optimo conquerebatur Io. Nic. Gimont. de grat. expect. c. 1. à num. 14. & infra, Conc. Trid. sess. prædicta, cap. 5. Decretum Bonifac. VIII. de quo sup. annotat, & reducit in viridem observantiam, & pius V. in Bulla sua, quæ est centesima, f. 1070. ubi Papali excommunicatione ita decernit: Non licet Monialibus, exire claustra monasterii, nisi ob infirmitatem Lepre, vel Epidimie, cum licentia suorum Superiorum, & Ordinarii locorum, sub pœna excommunicationis, & privationis omnium dignitatum, officiorum, administrationum, & habitationis in futurum ad prædicta, tam concedentes licentias, quam comitantes, quam receptatores, quam ipsa, & earum superiores. præcipit hæc Bullam singulis mensibus publicari, & Navar. cap. 27. num. 150. notab. 65. addit licere etiam ratione magni incendii egredi à monasteriis cum licentia superioris, & meminit Bullæ Pii V. prædictæ, & Greg. XIII. idem statuit sub gravissimis pœnis, & censuris Bulla sua 36. fol. 1237. Decevit & idem Pius V. in alia Bulla 8. fol. 930. ut deinceps non recipiantur Conversæ, quæ non volent emittere professionem, & sub perpetua clausura permanere, quæ modò professæ non sunt, nec profiteri volunt, dimissio habitu domum suam remittantur, & Gregor. XIII. Bulla 13. fol. 1205. ubi dicit inter cætera: Declaramus etiam, nullis Monialibus, etiam tertiariis, licere habere ostium, per quod ex Monasterio introire possunt ad Ecclesiam exteriori ipsarum

*Moniales, ad quam laici solent adire, ad audienda sacra, neque licere his egredi à janua Monasterii, quæ est pro clausura ipsius Monasterii, etiam ad claudendam aliam exteriorem januam, per quam patere solet ad usus secularibus, venientibus ad rotam, vel ad clarum. De Abbatissis, & aliis officialibus, Monialibus, vide in ver. Abbatissa. Dubitatur primò, si quæ Monialis exiret à Monasterio de facto, & sic illi exeunti occurrat aliquis qui comitatur illam, persuadens ei regressum, vel comitans per desertum, vel viam non tutam, ut salvet ejus honorem, vel vitam, an iste esset excommunicatus? Respondetur quòd non, quia non comitatur eam exeuntem, sed ut salvet eam, argum. c. place. de consecr. d. 4. Navar. loco citato num. 5. i. s. in quibus.*

Secundò dubitatur, an causa exeundi à Monasterio causa lepræ vel incendiæ magni, extendatur ad quemlibet morbum, etiam non contagiosum, de quo medici docti, & pii judicant aliquam morituram, nisi exeat monasterium in aliquem locum salubriorem, Navar. in d. cap. statumus, num. 49. ver. quest. ita dicit concessisse Gregor. XIII. modò accedat consilium utriusque medici, & superiorum licentia, quotiescumque contigerit aliqua infirmitas periculosa. Similiter Monialis electa in Abbatissam in alio Monasterio, potest exire ab illo suo, & ire ad illud, vel ob timorem belli ab infidelibus. Navar. loc. cit. nu. 48. ver. 4. nota tamen; in utroque casu vidi practitari oppositum, & habitus fuit recursus ad sac. Congreg. Sed vide in Additionibus magnis.

Tertiò dubitatur, an possint aliqua converse exire à Monasteriis elemosynarum causâ? Respondetur quòd sic, ubi Monasteria consueverunt ex elemosynis ali, similiter, stante necessitate monasterii Moniales possent tenere dictas Conversas in domibus contiguis monasteriis, ex quibus possent exire, & ingredi dictas domos, ut utilitas posceret, Pius V. & Greg. XIII. in Bulla cit. Nav. loc. cit.

Quarto, dubitatur, quòd si aliquis concomitaretur novitias, non professas tacitè, vel expressè, an esset excommunicatus? Respondetur quòd non, nec ipsi comitantes, nec ipsæ exeuntes, etiam si ob malum finem exirent, & concomitarentur, Navar. loc. cit. num. 47. ver. circa.

Ad decimumseptimum, sac. Conc. loc. cit. cap. 5. §. 8. quia, præcipit Monasteria Sanctimonialium, existentia extra mœnia Urbis, vel Oppidi, transferri ad nova vel antiqua Monasteria intra Urbes, vel Oppida, si ita videbitur expedire, & sac. Congreg. declarat. 123. dicit, istam translationem faciendam esse ad aliud Monasterium ejusdem Ordinis, & hoc quando immineret scandalum, vel propter supereminentem aeris pestilentis causam, declarat. 124. quæ Monasterii translatio debet fieri simul cum introitibus, & redditibus quos illud habebat. Sac. Congregatio declarat. 504. Cardinali Ferrerio.

Ad decimumoctavum respondetur, quòd Monialis debet dotari de paragio de bonis patris, secundum consuetudinem monasterii, quòd ingressa est, quòd ei sufficere debet quòd ceteræ Moniales

nates habent, Afflict. dec. 384, & Vincen. de Franch. dec. 44. n. 2.

Ad decimum nonum, vide Concil. Agathense, c. 19. & refertur in cap. monasteria, 18. questio. 2. ubi procul à monasteriis monachorum iubentur edificari, & in Concil. Mogunt. Can. 20.

Ad vigesimum, vide cap. votis Deo, c. placuit, cap. Virgines, cum similib. 20. q. 1. & distinct. 77. & an Episcopus possit in hoc dispensare? vide Selvam tract. de heres. quartaparte, quest. 3. num. 16. versic. 82.

Ad vigesimum primum respondetur, quòd sic, accedendo electioni majoris partis, modò ista variatio fiat in continet id est, antequam divertant ad extraneos actus, Anchar. in cap. indemnitatibus, numero sexto. notab. 10. & 11. de electio. libro sexto, & text. ibi cap. publicatio, de elect. & distingue cum Dynò, in cap. quod semel, numero duodecimo, de regul. iur. libro sexto, & ibi Addit. litera P. vide Hostient. in Sum. tit. de electio, §. utrum mutari possit, num. 21. vide in ver. electio, §. 3. idem Gem. in cap. indemnitatibus, §. sane, notab. 5. & text. ibi.

Ad vigesimum secundum respondeatur ex Concil. Trident. sess. 25. cap. 18. de Regul. sed an liceat blandis verbis, vide Panorm. in cap. ad vestram, numero tertio, de Reg. Navar. cap. 27. numero 150. notab. 55. & in versic. meus. & hoc habet locum etiam in eo qui cogit puellam ingredi monasterium, etiam ut ibi in habitu seculari usque ad aetatem nubendi educetur; Navar. consilio 6. de Regul. cetera vide in additionibus magnis.

Ad vigesimum tertium, vide Abb. in

in cap. ea qua, numero septimo de statu monach.

## MONACHI SEU REGULARES.

### S V M M A R I V M.

1. An possint edificare Monasteria propria auctoritate.
2. An aliquando requiratur licentia Papæ.
3. Quando possint constringi ab Ordinario, & subjaceant eiusdem censuris & pœnis.
4. Quo ordine procedant.
5. De eorum institutione.
6. Qui ad habitum assumendi.
7. Quando possint absolvi ab Episcopo.
8. Quando possint renunciare, & se obligare.
9. Religiosi an possint transire ad partes infidelium absque licentia superiorum, vide Ioan. 22. Bul. 3. fol. 35.
10. An Ordinarius possit ordinare aliqua circa Regulares, respondetur præter ea de quibus in ver. excommunicatio, de de causa materiali, ver. 4. quod potest ordinare, ne exeant soli à Monasteriis, sed bini, vel terni, c. quod Dei timorem de statu monach. Navar. Conf. 4. de Regul. num. 29. & 39.

AD primum, prohibetur omnibus Regularibus accipere locum, vel domum de novo (quatuor, &c.) mendicantium ordinibus exceptis, sub excommunicatione latae sententiæ, c. unico, §. confirmatos, & §. sane, de relig. dom. libro 6. & in capitulo unico, de excess. prelat. eod. lib. prohibetur omnibus Regularibus acquirere, seu recipere nova loca